



Gerardus ex optima familia Velduichiorum
 apud Belgas anno 1506 natus est. Is in opti-
 mis literis & linguarum cognitione à teneris annis
 institutus fuit. Cum autem singulari ingenij felici-
 tate esset præditus, in uirum doctissimum euasit. ut
 etiam peregrinas linguas disceret, ad exteras natio-
 nes profectus est, & facillè consuetudine uariarum
 gentium id quod uoluit impetrauit. Id cum Caro-
 lus Imperator cognouisset, eum in consilium suæ
 curiæ admisit, & res grauissimas ei expediendas cō-
 misit. Cum etiam statuisset inobedientes aliquot
 Germaniæ principes castigare, & idcirco bellum
 Smalkaldicum instaret, ante omnia hunc Gerardū
 Legatum ad Solymanum Constantinopolim misit, ut suo nomine cum eo
 inducias faceret anno 1546. Eam legationem is probè expediuit, atque pactis
 cum Turca in annos quinq; inducijs, die 12 Augusti sequentis anni ad Impe-
 ratorem redijt, qui tum Augustam uenerat, ut comitia celebraret. Itaque fa-
 ctum ut Gerardus ob rerum peritiam apud magnates insignem autoritatem
 acquisierit. Postea Bruxellas redijt, & anno salutis 1555, ætatis uerò quinquage-
 simo obiit. Anon.